

R.A.
513
10

B. A. II, 108.
h. 75, 8.

II a
595

DE
MOLLI TENEROQVE
IN
STVDIIS LITTERARVM SENSV
STRICTIM AGIT
IVVENIQVE NOBILISSIMO ORNA
TISSIMOQVE

IO. FRIDERICO
BOEHMIO


SCHLEIZENSI
AFFINI SVO CARISSIMO
DISCESSVM
IN

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

ACADEMIAM LIPSIENSEM
GRATVLATVR

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HALLE
GERAE

IO. CHRISTOPH. MACHER
PROF. ELOQV. ILLVSTR. GYMNASII ET
SOCIETATIS LAT. IENENSIS COLLEGA.



GERAE, EX CHALCOGRAPHIA SCHRADERIANA.

Perillustr. ac Ser. Domino ab H. J. J.



Quam, post diuturnam consuetudinem, atque aliquot annorum conuictum, id iam agas, **AFFINIS CARISSIME**, vt, tamquam e sinu meo complexuque, Lipsiam **TE** conferas, ac perficere ibi, quae laudabiliter hic inchoasti, recte, atque ex animi nostri sententia, pares: committendum non puto, vt, qui pro aliorum, ex institutione mea disciplinaque exeuntrum, incolumitate, felicitique in litterarum studiis progressu, vota nuncupem, **TE** vel nullis meis precibus comitatum, vel iudicio meo qualicumque inornatum dimittam. In magna semper felicitatis meae parte, quod nunc etiam publice profiteor, posui, talem **TE** cognoscere, qui monenti mihi se numquam asperum, sed flexibilem omni tempore morigerumque praerberet, animumque et sua sponte ad virtutem haberet pronum, et praeceptis magis in eadem confirmandum, quam excitandum ad eam impellendumque: tali praeterea esset ingenio, vt optime de **TE** non tam sperare possem, quam confidere. Quibus, ad virtutem omnemque honestam disciplinam, praesidiis, quam assidua diligentia, legendique semper aliquid et commentandi labor indefessus, accederet: id tandem consequutus est vterque nostrum, vt et **TV** seuerae magis sublimiorisque doctrinae sacris imbui nunc recte posses; et ego a me hac mente fiduciaque dimitterem **TE**,
qua

qua illos solemus, qui, luculentis virtutis ingeniique documentis, ad bene sperandum quasi signum aliquod nobis sustulerunt. Sic igitur, *SVAVISSIME*, *DEVM* semper habeas propitium, studiisque *TVIS* fauentem! Sic *PARENTIS OPTIMI*, *VIRI ILLUSTRIS CONSULTISSIMI*que, sic omnium nostrum, quae grauis *TIBI* constituta est aduersaria, expectationem non sustineas modo; sed vincas etiam! Sic comoda semper reetaque valetudine utaris, atque, ex omnium nostrum voto, res *TVAS* feliciter agas, vt mihi meisque haec omnia contingere ab immortali *DEO* velim optemque!

Atque ita, functus amoris, quo *TE* complector, officio, dimittere a me *TE* possem, nisi, quos vehementer amamus, iis frui gestiremus, quamdiu licet, atque, data occasione quacunque, confabulari cum iis gauderemus. Quae autem res esset, de qua vel ego rectius ad *TE* differerem, vel *TV* libentius me loquentem audires, quam litterae communes, earumque colendarum ratio? Certe magna cum voluptate mihi semper visus es et aliorum, ea de re, mentem cognoscere, et meam saepe numero blandis, vt soles, verbis percontari. Meministi vero, et viros magnos, ingeniorumque arbitros apprime idoneos audire querentes; et legere etiam passim in eorum scriptis, multos hodie studiorum eam inire rationem, vt mollia ferme ac tenera tantum confectentur; contraria, etsi vera et in primis vtilia, fugiant et abhorreant, ita vt gemmam sibi reperisse videantur illi, si quem nanciscantur, qui seuera velit lege proficere. Dedit ea res nobis occasionem, *de molli teneroque in litterarum studiis sensu*, quo tot ingenia, quae ad maiora exsurgere facile possent, hodie abripi, eneruari et cadere tandem solent, breuiter ad *TE* agendi. Non verendum *TIBI* est, *AFFINIS PRAESTANTISSIME*, ne cui veniat in mentem, suspicari, ex eorum *TE* genere esse, ad quos vitium illud pertineat, meque vel notare *TE* tacite, vel, si possem, emendare etiam hac scriptione cupere. Ab ista enim suspicione et omnes, qui *TE* norunt penitius, et mea ipsius professio, et rerum maxime *TVARVM* euentus facillime *TE* liberabunt.

SENSVS igitur quam in re tamquam sedem locumque proprie ac primum habeat, nemo ignorare videtur; nisi qui hoc ipso mutis animantibus, quibuscum ille nobis communis est, sit deterior, ut sensu omni careat. Hic autem, dilatata paululum vocabuli potestate, ad totam, tum qua refertur ad vim intelligendi, tum qua inest in voluntate, animi affectionem, (quae, a corporis motibus orta, certe cum iis arctissime coniuncta, consentiens illud sibi habeat, velut sanguinis motum, nunc diffundentis se per venas, appetitionemque concitantis, nunc contrahentis se, declinationemque efficientis,) pertinere volumus. MOLLEM porro TENERVMQVE quem dicamus, vel ex nomine intelligi sic satis potest. Ita enim quum corporeae ferme res dicantur, quae asperis afficiantur facilius, ac laedantur, ideoque tactui cedant: quid eadem nomina, si transferantur ad incorporeas, indicent, satis vel *molles auriculae, mollesque homines*, quorum fit apud Flaccum Ciceronemque mentio; vel *versus nimium teneri, teneriorque animus*, quorum iidem meminerunt, docere nos poterunt. Indicant videlicet res delicatas, blanditiisque assuetas, et respectum fere ad voluptatem, pro sua cuiusvis indole variam, habere solent. Erit itaque illius in LITTERARVM STUDIIS MOLLIS TENERQVE SENSVS, qui cogitet, velit, quaerat, efficiatque illa maxime, quae, sine molesto quodam labore, disci ab se posse, ac suae cuiusvis voluptati feruire apprime, videantur. Qui igitur etsi duo complecti videtur: alterum, ut is, in quo est, labori, animo suo ingrato, se subtrahat; alterum, ut captare tantum, ex litterarum studiis, voluptatem gestiat: ita tamen vnum continetur altero, ut seiungi non posse videantur. Proinde si, qua quis ex re voluptatem capiat, intelligamus, coniecere ad illud, quod arduum sibi ac difficile putet, facile possimus. Nunc equidem, quam varia sit in genere voluptas, hic nec quaero, neque illud huius loci esse puto; neque ad eos descendo, qui, corporis dediti voluptatibus, sapere ultra suaviissimum illius passum oblectationemque nolunt, atque abunde se doctrinarum consequutos putant; si de illa re desperandum sibi non sit, cuius dulcedine quadam praecepta, velut occultis

cultis stimulis, incitari se mire sentiunt, ad accipiendum illum, ingenii dicam cultum, an corporis habitum? quem nacti, sicut Atlantes, Herculi cuidam fesso humeros, quibus apprime valent, supponere aliquando commode se posse confidunt. Liberalium enim studiorum finibus me contineo, in quibus illos versari nemo facile dixerit. Cogitanti vero mihi, quae oblectatio ex illis peruenire ad animum soleat, triplex maxime occurrit voluptas, tres praecipuas illius facultates suauiter afficiens, ad cuius partem aliquam albis ferme solis equis, vt dicunt, contendere illorum quidam videntur, qui speciem hominum, in litteris aetatem collocantium, ferre prae se soleant. Esse enim primo, viri docti affirmant, qui eum demum studere litteris putent, qui, in amplificando rerum inuentarum thesauro et custode, augendis videlicet memoriae copiis, gnauiter elaborent, aliamque rem quamcunque vel ingratham sibi, vel molestam, vel inutilem iudicent. Late istum occulteque morem serpere dicunt, neque ad eos tantum pertinere, qui, tamquam Simonidis artem, aut Corfici potius adolescentis illius, quo Muretus quondam stupebat tantopere, calleant, omnium librorum indices, auctores, formas, et quid non? in numeratis habent; etsi, tamquam obiecto Gorgonis capite, obmutescant, si quis, praeter litterarias ephemerides, librorumque corticem, aliquid ab iis requirat; sed ad illos etiam manare, qui disciplinas magis seueras tractent, easque pulchre se tenere, animum sibi inducant, si, quibus, in explicandis iis, vocabulis viri docti vtantur, ea recte in mente sua infigant, aut, non quod verissimum in re quaque, aut certissimum est; sed quod alii plurimi de eadem senserunt, patientia Spartana conquirant, nulloque adhibito iudicio, memoriae mandent. Deinde hoc nostro aeuo, quod multi ingenio potius, quam ratione, putant regi, plures esse commemorant, qui amoenitatem tantum ingenii, spretis, tamquam morosulis, aliis doctrinis, consecrentur. Hinc fieri aiunt, vt multi, quasi velo quodam liberalium artium obtento, tempus omne, quod grauiori, atque ad vsum humanae vitae magis comparato doctrinae generi dare debebant, vel in scribendis, vel legendis Anacreonteis Sotadicisque versiculis,

aut fabulis Mileſiis conſumant, neque ultra recentioris aevi Ti-
bullos atque Heliodoros progredi audeant. Quas tamen voces
ſuas eo pertinere nolunt, vt eruditorum hominum ſtudia vel
contemnantur, vel ſiniſtre de iis iudicetur, qui, diuina huma-
que ſapientia largiter imbuti, hoc etiam in genere, pangendique
carminis patrii peritia, ceteris praestare ſeſe ſtudent; quod a ſua
fronte, atque in patriam linguam amore, abeſſe longiſſime affir-
mant; ſed eos modo recte, atque e re ſua, publicaque, facere
minus videri, qui, relicta ſolida doctrina, totos ſe ad eam rem
conferant, eamque, tamquam ſcopulum naufragus, amplectantur.
Pergunt denique, illos etiam, quos minime putes, huc referre,
qui ipſa illa diuina in nobis iudicandi vi ad voluptatem ſuam
abutantur, atque, praeter hanc, ex illa nihil admodum petant.
Propius abeſſe ab hoc crimine dicunt, qui, contra, quam earum
poſcit ratio, diſciplinarem principia confundant, atque, vbi
teſtes citandi colligendique ſunt, vt in iis doctrinis, quae
ab auctoritate, vel diuina, vel humana, robur ſuum firmamen-
tumque habent, contortis demonſtratiunculis philoſophicis rem
ab ſe confici poſſe, iudicent, tam inepte ſaepe, vt magnum in
primis hominem, per iocum, dicere ſolitum ferant, eos
non minus praeclare facere, quam qui aedis ſacrae cuiusdam
turrim altiſſimam ad dentes purgandos ſcarificandamque gingi-
uam adhiberent. Nempe minoris eſſe laboris aiunt, ex vna fide-
lia parietes omnes, dealbare dicam, an denigrare? quam, multo-
rum annorum diligentia, linguarum omniſque memoriae veteris
intelligentiam ſibi acquirere, eius ope deinde domeſticas diſci-
plinae cuiusuis rationes aperire, atque, tamquam a ſtirpe, illas
ducere. Sed ego ſuſpenſa manu ad tractandum hunc locum
veniendum exiſtimo, ne quis rei pulcerrimae, atque homine in-
primis dignae, conuicium facere, atque ab eadem deterrere in-
genia bona, velle videatur, cuius tamen recto vſu omnis eruditio
vera et ſolida nititur.

Iam qua ratione ſoleat ſuas quiſque res agere, et quibus
tamquam ex fontibus doctrinas ſuas hauriat, intellectu non erit
difficile.

Nil

Nil rectum, nisi quod placuit, sibi ducunt.

Florentem cytisum sequitur lasciuia capella.

Percontatur alius aut Sofios, quid sit, quod vel ipsi, vel alii, moliantur noui; aut commentarios rerum, per orbem litterarium recens gestarum, tamquam Sibyllae folia, nocturna diurnaue manu volutat, ex iisque nomina excerpit; aut in imprimendis memoriae vocabulis, quibus res quaeque solent signari, sudat, atque ita, se regia ad eruditionem via grassari, sibi persuadet. Alius tabernas librarias perrepat, atque, sensus elegantiae, quem gustum hodie dicunt, perpoliendi praetextu, quicquid versiculorum aut fabularum, aut aliarum huius generis deliciarum, reperit, sollicite conquirat, illud auide legit, ac, velut exemplum, ad imitandum sibi proponit; reliquis scriptis omnibus deesse lumen, nec publici saporis ea esse, caussatus. Nempe solet multis, quod fatuae illi, quae, tamquam hereditarium onus, in domo Senecae remanserat, accidere; quae quum subito desineret videre, subinde paedagogum suum rogabat, migraret: domum, dicens, tenebrosam esse. Alius contra *τὰ* modo *μεταφυσικά* laudat, tamquam in Platonis intermundiis, nullo tempore non somniat, ac, velut ex olympo depressiora terrae loca, ita res quotidianas, et dicendi formam vsitatam, disciplinasque, quarum vsu carere vita hominum non potest, renidens despicit. Sordent alterius generis vel libri, vel acroases, ac, vel ipso nomine suo, displicent; aequae profecto ridicule, ac Galliarum quemdam regem, ex duabus Hispanicis virginibus regis, alteram, venustiore, omnibusque gratis obsessam, repudiasse, alteramque, forma multo detiore, praecoptasse ferunt, non aliam ob caussam, quam quod Vrsulae illi nomen esset, omni larua, si dls placet, terribilius.

Variae vero caussae videntur esse, a quibus mollis iste tenerque in litterarum studiis sensus oriatur. Primum enim tam agile quorundam, tam mobile ac velox ingenium est, vt, quum feriae rerum grauium meditatione contineri diu non possint, iis relictis, ad res, quae iucunditate quadam allicere homines possint, labantur. Qua certe in re vir gallici clarissimus nominis, GASTYMEAVVS, acade-

academiae Rupellensis ab epistolis, tamquam fontes eius vitii, ciuibus suis familiarissimi, aperire sibi visus est. Accedit etiam educationis indoles, illi non admodum, vt multi putant, dissimilis, quam aetatis suae Romanis exprobrat auctor, de oratoribus, dialogi, atque intuens eam, non sine indignationis cuiusdam morsuunculis, *hac occupatus et obsessus animus*, exclamat, *quantulum loci bonis artibus relinquit?* Tum imitationis quoque studium, vt a natura potissimum homini tributum est, ita maxime illum abripere solet ad id, quod in laude videt ac praedicatione aliorum versari. Dicit itaque non potest, quanta sit eius vis ad res omnes, quod facile intelligent, qui aliquam earum rerum, quae accidere in re publica litteraria quotidie solent, obseruationem habent. Porro negandum etiam non est, reperiri, quibus, tamquam Sirenum vocibus, ad iucunda et mollia homines, a seueritate disciplinae, deuocentur. Vbi enim vident, se scientia, quam tam facile plerique, quam pium, vt aiunt, comest vulpes, adipisci possunt, plausus delicatorum hominum, muliercularum etiam, consequi, et ingenii, tardum alias, elogium: quid mirum, si eas res venentur, quibus paratam esse tantam laudem animaduertant, easque per tela et ignes petant? Quemadmodum enim ficti adulescentes quondam, vt ait Petronius, quum diuitum coenas captarent, nihil prius meditabantur, quam quod putarent gratissimum auditoribus fore, eamque, tamquam piscatores, escam, suis hamis imponebant: ita, relictis rebus seriis, iocosas illi, et quas ad eorum, quibus probari sua maxime velint, palatum esse iudicant, parare et meditari potissimum solent; praesertim quum tales illae natura sua sint, quae, praeter facultatem, suauitate permulceant animum, atque voluptate perfundant. Quibus omnibus si seculi addatur molities, cui genios quidam duos, voluptatem, et, sine quibus illa friget, diuitiarum amorem dant: non facile quisquam amplius aliquid desiderabit, ad aperiendas vitii, de quo quaerimus, causas. Qui enim a teneris, quod Graeci aiunt, vnguiculis rem nullam magni facere docentur, nisi voluptates ac diuitias: an illos, in litterarum studiis, moris consuetudinisque suae statim oblituros; aut quicquam, praeter eas, pensi habituros putemus?

Nunc

Nunc equidem is non sum, qui vel honestam oblectationem, vel elegantiam a litterarum studiis seiunctam velit, aut rebus ita intentos esse homines iubeat, vt, quod vel alliciat audientes legentesque, ac retineat, vel suas ipsorum mentes honesta voluptate afficiat, ad curam suam pertinere non putent. Vt enim

gratior est virtus, veniens in corpore pulcro;

vtque ipse animus praeclarus, si bene habitat, magis placet: ita facilius grauiore doctrinas ad hominis animum descendere existimo, si, quae bene cogitamus, apte etiam eloquamur, omnique orationis cultu tamquam conuestita, foras prodire animi nostri sensa patiamur, ac delectare non minus, quam prodesse studeamus. Illud modo nullam in partem ferendum putamus, vt solam voluptatem nonnulli petant ex litterarum studiis; grauiore doctrinas, velut rem spinosam, neque hodie admodum vtilem, non negligent solum, sed contemnant etiam, atque ita vinculum illud disciplinarum soluant, quo sublato, nulla suum decus firmitatemque retinere diu potest. Ne illico tamen tabellam poscere, atque, indicta causa, istos condemnare videamur: quid afferant ad ornandam suam, audiamus. Atque hic primum ego quosdam contendere memini, in tam delicato seculi fastidio vix elegantiae rebusque, ad oblectandos animos compositis, quantum satis, nedum nimis, studere aliquem posse; paucosque oppido inueniri, qui eo perueniant cultus politionis, vt vereri fastidiosa aetatis suae iudicia non debeant. Delicatum est, fateor, seculi fastidium: num vero soli suae voluptati propterea seruiendum est? Si non omnia placent omnibus: quo iure speret aliquis, id, quod sibi iucundum est, omnibus etiam aliis gratum fore acceptumque? Quum vera elegantia, vt in corpore quodam pulcritudo, dum demum existat, si omnes cuiusque rei partes eam habeant conformationem, quam vnius cuiusque perfectio, naturae debita, requirit: cuius eruditio minus dicenda erit elegans, quam eorum, qui, seiunctis iis, vnde vires ea habet, vsumque suum, suauitati tantum oblectationique

X
tionique inhient? Vt taceam, non bellos tantum homines, uti putant, sed bonos publiceque vtilis, seculum, quod ipsi dicunt fastidiosum, requirere, hoc est tales, qui, quae didicerint recte solideque, ad communem fructum afferre et possint, propter mentis lumen assensionisque firmitatem; et velint, ob animi virtutem constantiamque; et debeant, ob morum honestatem et elegantiam. At patriae tamen gloriae aliquid dandum est, quae neque acquiri facile, nec conservari diu possit, nisi, florere se ingenii laude, ciues operibus, ad oblectandum maxima ex parte compositis, palam faciant. Equidem, et gentes, et tempora, non quod grauioris et seriae doctrinae praesidiis omnino destituerentur, sed quod ingenii elegantiorisque litteraturae gloria carerent, in barbaris numerari, memini, Tantum igitur abest, ut humanitatis studia negligenda, ingeniique laudem abiiciendam, putemus, ut vtriusque cultum bonis mentibus commendare, pro dignitate sua, satis non possimus. Eos modo considerate facere negamus, qui, a nulla liberali, et digna hominis natura, doctrina instructi, suam libidinem sequantur, ac, nescio cuius, elegantiae politoris fumum vendentes, maximam ingenii opinionem exteris se iniecturos putent. Fluxa et vana omnis est ingenii gloria, quae nullis doctrinae scientiaeque praesidiis communitur. Quando Graecia, ut hac vtar, ingeniosior esse visa est, quam illo tempore, quo, ut ait ille, ventosa et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigrabat, animosque, ad magna surgentes, ita, velut pestilenti quodam sidere, afflabat, ut Sophistarum calamistris stuperent, atque poetarum, qui non

Maeonium biberant felici pectore fontem;

sed inani potius tinnitu, aut, ut Flaccus ait, *sesquipedalibus verbis*, lectorum auribus insidiabantur, amore propemodum insanirent? Neque tamen hodie iudicio cuiusquam ferme minus a viris prudentibus intellegimus tribui, quam Graecorum eius aetatis, qua e pristino, quod diu obtinuerant, fastigio delapsi, nihil magnifici vel cogitabant, vel suscipiebant. Quam ob rem totis viribus existimationi patriae, ingeniique laudi, seruiamus; sed

sed ita, vt, quum bonae mentis fundamentum sit, non gaudere vanis, seueras musas hilarioribus arctissime iungamus. At debilitat animos doctrina grauior, aciemque mentis, nisi subinde, eruditione suauiore, tamquam acuatur, obtundit. Quid igitur? num soli illi, quae oblectet mentes, voluptatisque sensu incitet, studendum est? Effeminat animos, vt sapiens ille Romanus docet, quemadmodum amoenitas locorum nimia, ita etiam studiorum. Ac falso fere disciplinae tribuitur, cuius culpa latet in ingenio, quod, quum, in se fingendo, naturam non expertum sit fauricem, plus interdum ardoris affert ad litterarum studia, quam virium. Accedit, quod solitudo, in quam eius modi homines ferme se abdunt, et continuus labor vigiliaeque, omnem saepe, vt ait Fabius, ingenii bibunt succum, et ossa detegunt. Scilicet isti recte doctrinas accusabunt, si sibi, eas intuentibus, mentis acies hebescat! Itaque, nobis auctoribus, seriis studiis iucundiora, si possint, misceant; sed ita, vt haec ab illis vitam spiritumque accipiant; illa autem ab his sustententur ornenturque.

Magnum vero ac varium est damnum, quod vel in doctrinam, vel virtutem, vel rem publicam redundare ex molli isto teneroque, in litterarum studiis, sensu soleat. Doctrina enim quum in aperiendis rerum causis rationibusque domesticis maxime cernatur: stare nullo modo cum illa leuitate potest, qua ducti homines, non quod verissimum quaque in re optimumque; sed quod suauissimum libidinique suae maxime accommodatum est, sequuntur, ac deinde alios etiam sui similes efficiunt, vel exemplo ac voce; vel *lepidos*, quod poeta ait, *sale suo libellos tingentes*, vt

Agnoscat mores vita legatque suos.


Porro, quum ita se tractent in litterarum studiis, nec opinantibus ingenii nerui velut eliduntur, vt, si deinde paullo acrius ad res obiectas, ab iis, quibus assueti sunt, diuersas, animus aduertendus est, deficient, neque ad rerum grauium cogitationes durent; vt fruges, in umbra natae et adultae, nec solis aestum, nec ventos, nec nocturnam pruinam pati possunt. Satis tamen saluae

res

res essent hominum, dumne virtutis studio etiam tamquam securum illud vitium iniiceret. Quae enim quum requirat maxime, vt quis, quod ratio postulat atque officium, recte perspiciat, neque vlla re depelli ab eodem se sinat: isti contra molestum sibi putant, quae sit potissimum illius vis, quid ad eam colendam impellat, quos ferat fructus, quibusque finibus a vitiis discernatur, diligenter quaerere. Deinde, assuefacti seruire libidini suae, numquam peruenient ad eam constantiam, quae in omni virtute apprime necessaria est: nihil enim, iudice Seneca, virtuti tam est inimicum, quam voluptas, ad quam qui suas omnes cogitationes abiiciunt, nihil altum, nihil magnificum suscipere possunt. Vt taceamus, eos maxime, qui ab ingenio solo voluptatem petunt, haud raro, nunc versiculis Sotadeis, nunc incestis fabulis, efficere, vt passim virtuti, apud infirmos certe animos, calamitas incidat. Quid inde detrimenti capiat res publica, conici facile potest; praesertim si cogitemus, virtute ciuium ac scientia praecipuum eius firmamentum contineri. Sed multis hoc prosequi non licet. Satis apparebit omnibus, qui meminerint, homines, tenera viuendi ratione innutritos, a seriis occupationibus ferme abhorrere: quae in vsu aliquando habituri sint, maxime negligere: laborem fugere, atque illi se, tamquam mulos clitellis, subducere: neque ad res magnas, quibus vera compareretur gloria, facile incitari, sed suae potius inertiae gnauius indulgere. Cuiusmodi ciuibus si quis est, qui, multum debituram aliquando salutem publicam esse, sibi persuadere possit, is, per nos licebit, mollem tenerumque eorum in litterarum studiis sensum rei publicae non modo non noxium; sed, si libeat, conducibilem etiam iudicet. Scrib. Gerae d. VI. April. A. O. R. M DCC LIII.



X 23787294.C



Q.N.
513
10
H. A. Th. 108
h. 758

DE
MOLLI TENEROQVE
IN
STVDIIS LITTERARVM SENSV
STRICTIM AGIT
IVVENIQVE NOBILISSIMO ORNA
TISSIMOQVE

IIa
595


IO. FRIDERICO
BOEHMIO

SCHLEIZENSI
AFFINI SVO CARISSIMO
DISCESSVM
IN
ACADEMIAM LIPSIENSEM

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

GRATVLATVR
IO. CHRISTOPH. MACHER
PROF. ELOQV. ILLVSTR. GYMNASII ET
SOCIETATIS LAT. IENENSIS COLLEGA.

UNIVERSITÄT-BIBLIOTHEK
HALLER
GERA



GERAE, EX CHALCOGRAPHIA SCHRADERIANA.

Perillustri ac Ser. Dominico al. 1788

